

rate non potest haberi quod de eo quod per os assumitur, nihil remaneat quod in veritatem carnis transeat: quia hæc dictio *omnis* non designat totum integrale, sed totum in quantitate: unde non oportet quod totum per secessum emittatur, sed quod de quolibet aliquid secedat: & hoc est necessarium, quia oportet puri ab impuro separationem fieri; nullus autem cibus assumitur in quo non oporteat aliquid impuritatis esse ex hoc quod in principio est dissimilis: unde si ad similitudinem reduci debeat, oportet quod tollantur illæ partes secundum quas dissimilitudo erat. Verbi gratia, si in cibo dominantur partes terrestres magis quam in eo quod nutritur, oportet id quod terrestre est removeri, & quod subtilius est assumi: & similiter etiam quæcumque partes magis dominantur.

Ad secundum dicendum, quod secundum tertiam opinionem non est diversa caro secundum materiam distincta, quæ dicitur caro secundum materiam, & caro secundum speciem; sed eadem secundum numerum caro dicitur secundum speciem, in quantum participat formam, & proprietates consequentes speciem; sed secundum materiam dicitur, in quantum ex materia consistit. Et quod hic sit intellectus Aristotelis, patet ex verbis Commentatoris exponentis hoc modo, & iterum ex verbis Philosophi in littera positus: dicit enim, quod hoc modo est distinguere quod est secundum speciem, & secundum materiam in carne, & osse, sicut & in unoquoque alio quod habet formam in materia. Constat autem quod talis distinctio non potest fieri in lapide, & aqua, ut dicatur pars secundum speciem quæ ex primis generantibus tracta est, & pars secundum materiam quæ ex nutrimento advenit. Et ita patet quod nec in carne, & osse hoc intelligendum est, sed modo prædicto: unde objectio procedit ex malo intellectu verborum Philosophi.

Ad tertium dicendum, quod, secundum Medicos, humidum quod ex primis generantibus trahitur, non oportet ut dicatur radicale, quia semper remanet distinctum secundum materiam, & proprietatem ab humido ex alimento aggenerato; sed quia calor naturalis in illo humido prius existit, & illud quod permiscetur, non participat speciem, nisi ex virtute illius humidi cui permiscetur, unde est quasi radix totius illius quod postmodum ex alimento convertitur, non autem ita quod utrumque humidum post finem digestionis ultimæ distinctum remaneat; sed totum permixtum accipit unam proprietatem; & utraque materia, scilicet quæ prius suberat primo humido, & secundo advenienti, æqualiter se habet ad hoc quod transeat, & ad hoc quod virtutem speciei participet. Nec dicitur consumi humidum radicale propter discessum talis materiæ, sed propter hoc quod non permanet proprietas quam totum mixtum habebat ex virtute primi humidi: tunc enim non potest fieri restauratio, quia virtus speciei non manet; sicut etiam si tota manus amputetur, non restauratur per nutrimentum, quia non manet virtus speciei determinata huic organo: & propter hanc etiam causam dicuntur quedam membra ex humido radicali composita, non quod nihil nutrimenti in substantiam illorum membrorum transeat, cum quodlibet membrum corporis proportionabiliter augeatur; sed quia in illis membris principaliter virtus speciei consistit, quæ est ex humido radicali: nec potest aliqua abscissio ab eis fieri quin auferatur virtus speciei quantum ad aliquam partem determinatam; & propter hoc etiam talia membra decisa non sanantur.

Ad quartum dicendum, quod cum illud quod advenit ex alimento aggeneratum, sit permixtum ei quod prius erat, & similiter unum effectum ex ambobus sit, semper fit deperditio in utroque proportionaliter: unde oportet quod & de utroque remaneat proportionaliter: & ideo nunquam contingit quod totum illud quod prius erat, abscedat, ita quod nihil prioris materiæ remaneat; sed semper manet aliquid, & illud quod advenit, est unum cum eo quod præerat, effectum: & ideo est materia una, & individuum unum per totam vitam; sicut patet etiam in igne qui nutritur lignis; semper enim manet unus numero ignis, quamvis aliquibus lignis appositis alia consumantur: quia illud quod advenit, semper efficitur unum cum eo quod præerat, & magis esset simile, si fieret commixtio secundum totum, sicut est in nutrimento. Secus autem esset, si ex materia adveniente generaretur ignis, vel caro seorsum: tunc enim propter omnimodam diversitatem materiæ esset etiam diversitas secundum numerum.

Ad quintum dicendum, quod illud quod ex nutrimento aggeneratur, non ita perfecte consequitur naturam speciei, sicut illud quod primo per virtutem formativam in carnem, vel os conversum est: tum quia prima generatio erat carnis secundum se, secunda autem est carnis in alio quasi per commixtionem: tum etiam quia quanto virtus animæ magis diffunditur, & spargitur, debilior redditur; ut patet in corde, quod quanto majus est, tanto minus calidum est: unde animalia habentia magnum cor sunt timida naturaliter, ut Philosophus in Lib. XIII. de animalibus, & Lib. III. de par. animal. cap. iv. dicit: & ideo aliquo modo est extraneum, & propter hoc permixtum ei quod prius erat, est causa debilitatis virtutis; sicut aqua admixta vino, ut ponit exemplum Philosophus in I. de generat. ubi sup. & ideo ad ultimum oportet quod sequatur diminutio, & corruptio.

Ad sextum dicendum, quod modus ille, scilicet per multiplicationem materiæ, non est possibilis ad minus naturæ; quæ quoniam non secundum se totam agit, sed secundum formam tantum, ideo multiplicat tantum formam, & non materiam: & propter hoc ut opus naturæ servaretur, oportuit modum illum in augmento esse qui virtuti naturæ competat.

Ad septimum dicendum, quod omnia quæ sunt ejusdem speciei, operatione naturali uno modo suam perfectionem consequuntur. Si tamen unus naturaliter id consequatur, & alius per miraculum, non erit idem modus; sicut in cæco nato qui per miraculum illuminatur, qui alio modo habet visum ab eo qui videns nascitur. Ita etiam illi qui pueri moriuntur, per miraculum ad debitam quantitatem perveniunt. Nec tamen oportet quod illud miraculum fiat per multiplicationem materiæ, sed per additionem exterioris materiæ. Qui autem usque ad perfectam ætatem vivunt, naturali operatione ad perfectam quantitatem perveniunt. Unde non oportet quod sit utrobique idem modus; & si esset idem, non sequeretur quod hoc esset per multiplicationem materiæ.

ARTICULUS II.

Utrum semen decidatur ex eo quod generatur ex alimento.

I. P. quæst. cxix. art. 2.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod semen non sit ex eo decisum quod ex alimento

mento aggeneratum est. Augustinus enim dicit, Lib. X. sup. Gen. ad lit. cap. xviii. xix. xx. quod secundum corpulentam substantiam omnes fuimus in Adam, & etiam secundum seminalem rationem, præter Christum, qui in eo tantum secundum corpulentam substantiam fuit. Sed corpulenta substantia nostra non venit à parentibus nisi mediante semine. Ergo oportet quod semen quod ex primo parente traducitur, non sit ex eo decisum quod ex alimento conversum est, sed ex eo quod ipse à suo parente accipit, ut sic corpulenta substantia nostri corporis à primo parente decisa inveniatur.

2. Præterea. Secundum Damascenum, Lib. I. de orth. Fid. cap. viii. generatio est opus naturæ, ex substantia generantis producens id quod generatur. Sed illud quod est superfluum alimenti, non est de substantia generantis. Ergo si ex hoc tantum generatio fieret in hominibus, non esset vera generatio.

3. Præterea. Ex subtractione alicujus superflui non sequitur alicujus debilitatio, sed magis alleviatio. Ex seminis autem emissionem debilitatur generans. Ergo semen non est ex superfluo alimenti, sed ex ipso humido radicali decisum.

4. Præterea. Filius pro tanto assimilatur patri magis quam alii homini, quia generatur ex semine quod ab eo traducitur. Sed natus quandoque non solum patri, sed etiam avo assimilatur, vel proavo etiam usque ad multas generationes, ut Philosophus in XV. de animalibus (a) VII. de part. animal. cap. vi. & IV. de gen. anim. cap. iiii. dicit. Ergo oportet quod semen exeat non solum à patre, sed etiam ab avo, & proavo. Sed humidum nutrimentale nunquam fuit nisi in patre. Ergo non est ex humido (1) semen decisum, sed magis ex illo radicali quod patet ab avo traxit, & avus à proavo.

5. Præterea. Id quod est de substantia alicujus, magis est proximum sibi quam hoc quod est ab ejus substantia alienum. Sed id quod est ex alimento conversum, non fuit radicaliter de substantia ipsius generantis, fuit autem de substantia radicali alicujus animalis, cujus carnes comestæ sunt, ut bovis, & porci. Ergo major erit cognatio, & similitudo ad bovem, & porcum, quam ad patrem suum. Hoc autem est inconveniens. Ergo semen non est ex humido nutrimentali decisum.

6. Præterea. Sit ita quod aliquis tantum ex carnibus humanis vescatur, & ut quæstio sit gravior, ponatur etiam quod ex ipsis embryis etiam generet aliquem, qui etiam simili modo nutriatur. Inde sic arguo. Humidum radicale cujuscumque hominis est illud quod ex parentibus traxit. Si ergo semen ex quo conceptus est iste natus, ex humido nutrimentali sit, humidum radicale ejus oportet quod sit de substantia aliorum quorum carnes comestæ sunt. Si ergo, secundum Augustinum, Lib. XXII. de Civ. Dei cap. xx. resurget caro comesta ab aliquo, in eo in quo primo fuit, tunc totum humidum radicale resurget in illis quorum carnes à patre ejus comestæ sunt: & similiter humidum nutrimentale, quorum carnes ipse comedit. Ergo nihil istius resurgeret; & sic non omnium esset resurrectio, quod est contra fidem nostram. Ergo impossibile est quod semen ex humido nutrimentali sit decisum; & ita non videtur

In II. Sent. Tom. II. cap. xxi. articulo 2. ad 1. ad 2.

(1) Forte addendum isto, id est nutrimentali. (2) Al. ergo.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Sive, ut supra, juxta novam distinctionem Lib. I. de gen. anim. cap. xviii. cui etiam simile quiddam Lib. iv. cap. iiii. indicatur: non, sicut prius fictive indicabatur ad marginem, Lib. VII. de part. animal. cap. vi.

esse superfluum alimenti.

Sed contrarium hujus ostendit Philosophus in XV. de animalibus, ut supra; duabus rationibus, & tribus signis.

Prima ratio est per divisionem sic. Quidquid est in corpore animalis, vel est naturaliter, vel occasionaliter, sive per accidens in eo. Sed semen non est occasionaliter, sicut sunt putredines, & sanies vulnerum: quia illud quod est per accidens, non consequitur totam speciem, sicut semen in omnibus invenitur. Ergo est ibi naturaliter. Sed omne quod est naturaliter in corpore, vel est pars, sicut caro, & nervus; vel est superfluum, sicut lac, & urina, & hujusmodi. Sed semen non est pars, cum non sit nec pars organica, quia semen est simile in toto, & in parte, quod partibus organicis non convenit: nec iterum est de partibus consimilibus, cum in constitutionem membri non veniat, sicut partes consimiles in constitutionem membrorum organicorum. Restat ergo quod sit superfluum alimenti.

Secunda ratio est, quia si semen non est superfluum, oportet quod sit dissolutum à membris. Omne autem resolutum, vel decisum ex animali, corrumpitur, & amittit naturam suam. Ergo semen amitteret naturam membrorum, ex quibus decideret, & virtutem; & ita virtute seminis non posset generari aliquid simile illis membris: quia oportet quod forma generati sit in generante, ad minus virtualiter.

Item ponit tria signa ad hoc ibidem: quorum unum est quod nullum dissolutum à corpore, habet locum determinatum in corpore, sed vagatur per corpus. Semen autem habet determinatum locum in corpore, sicut alia superfluitates, scilicet vias seminales, & quasi in eadem parte corporis, in qua sunt loca aliarum superfluitatum. Ergo semen est superfluum, & non decisum de substantia membrorum.

Secundum signum est, quia natura alleviatur per emissionem superflui, nunquam autem per dissolutionem ejus qui est de substantia membri. Sed quandoque alleviatur natura per emissionem seminis. Ergo semen non est quid dissolutum à membris, sed superfluum.

Tertium signum est, quod ubi invenitur minus de superfluo alimenti, ibi invenitur minus de semine: & propter hanc causam in pueris non est semen, quia superfluum nutrimenti in augmentum convertitur: propter hanc (2) etiam causam etiam pingues homines sunt pauci seminis, & pauca generationis, quia superfluum alimenti convertitur in pinguedinem: propter hoc etiam animalia majoris quantitatis habent minus de semine secundum proportionem corporis sui, & sunt pauca generationis, quia indigent multo nutrimento; & ideo parum potest in eis esse superfluum, ut patet in elephantis. Si autem esset semen dissolutum, deberet esse e contrario: quia ex majori corpore potest fieri major dissolutio. Ergo semen non est quid dissolutum, sed superfluum alimenti.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hoc sunt tres opiniones.

Una opinio est, quod semen est quedam pars decisa.

pp 2

cisa ab eo quod est de substantia membri, ita quod tota substantia seminis est ex humido radicali, ex quo primo, & principaliter substantia membrorum componi dicunt, quod ex substantia generantis tractum est; & quia supra substantiam seminis nihil in generato additur quod sit ad veritatem naturæ ipsius pertinens, ideo secundum eos tantum id quod est de veritate naturæ in filio, fuit in patre de veritate naturæ ejus existens; & sic ascendendo sequitur, quod quidquid est de veritate naturæ in hominibus omnibus, totum fuerit actualiter in Adam. Hæc autem positio à quibusdam Philosophis antiquitus posita est, & etiam à quibusdam Theologis, ut de Magistro in littera patet; alia tamen, & alia ratione ad hoc inclinati. Quidam enim antiquorum Philosophorum, sicut præcipue Anaxagoras, ut ex I. Phys. text. xxxiii. ponebant generationem alicujus non fieri nisi per congregationem similium partium, quæ prius inerant in eo ex quo fit generatio; ita quod nihil in naturam carnis transiret quod prius caro non fuerit: unde oportebat ad hoc quod generaretur caro, & os in nato, quod aliquid ex patris carne, & ossibus resolveretur; & sic de aliis partibus, & membris. Quidam etiam qui totam virtutem agendi materiæ attribuere, quam solam naturam rerum esse dicebant, ut in II. Physic. text. vii. patet, non poterant invenire causam assimilationis filii ad patrem in singulis membris, nisi per hoc quod materialiter aliquid de singulis membris resolveretur, ex quibus corpus pueri constituitur. Sed harum rationum radices à Philosophis sequentibus sufficienter improbatæ sunt, scilicet quod non solum ex extractione, & congregatione sit generatio, sed etiam per hoc quod materia transmutatur de forma in formam; ut sic quod prius naturam carnis non habebat, postmodum caro fiat. Similiter etiam virtus activa non est ex parte materiæ, sed magis ex parte formalis principii. Unde causa assimilationis filii ad patrem non est convenientia in materia, ut oporteat membrum fieri de materia quæ ex membris patris resolvitur; cum etiam sit similitudo filii ad patrem in illis ex quibus nullo modo semen deciditur, sicut in unguibus, & capillis: sed causa similitudinis est virtus formativa, quæ in semine relinquitur, ex operatione virtutis formalis ipsius patris agentis in semen. Magister vero, & alii Theologi hoc ponentes, ad hanc positionem inducuntur propter traductionem originalis peccati, quasi in similem errorem cum prioribus declinantes, ut non possit esse traductio originalis peccati in filios à parentibus, nisi secundum hoc quod materia ipsius corporis filiorum fuit in ipsis parentibus primis, quando peccaverunt; ut sic assimilatio in corruptione peccati sit secundum convenientiam in materia, & non secundum rationem virtutis activæ: cuius contrarium expresse Augustinus asserit, super Gen. ad lit. Lib. X. cap. xx. dicens, quod non propter hoc in nobis originale peccatum est, quia ex Adam secundum corpulentam substantiam propagati sumus, quia sic etiam in Christo originale peccatum fuisset; sed quia secundum seminalem rationem concupiscentialiter ex eis descendimus. Unde patet quod rationes quibus hæc opinio asseritur, falsum fundamentum habent. Ipsa etiam positio in se falsa est. Quod enim illa substantia humani corporis quæ in primis parentibus fuit, in tot diffunderetur, hoc non potest esse nisi tribus modis: vel per multiplicationem materiæ, ut quidam dicunt; vel per divisionem, quia continuum in infinitum divisibile est, sicut alii ponunt; vel

etiam per mixtionem, secundum alios, sicut augmentatur vinum per admixtionem aquæ. Sed multiplicatio materiæ, ita quod nulla superadditio fiat, sicut ipsi volunt, non potest esse nisi per modum rarefactionis, ut in præcedenti articulo probatum est: unde sequeretur quod filius rarius corpus haberet quam pater, & quod tandem generatio naturaliter finiretur: quia non potest esse rarefactio in infinitum, nisi metaphorice loquendo, ut in IV. Physic. text. lxxvii. & lxxix. Commentator dicit. Idem etiam sequeretur, si per divisionem illa materia quæ in corpore Adæ fuit, in tot distributa esset. Corpus enim naturale non est divisibile in infinitum, sed solum corpus mathematicum, ut ex III. Physic. text. xxxvi. ex verbis Commentatoris, & Philosophi habetur. Unde oporteret quod necessario deficeret generatio. Et dicitur corpus mathematicum, corpus consideratum secundum dimensionem quantitativam tantum, & hoc est corpus in genere quantitatis: hoc enim in infinitum dividi potest, quia in ratione quantitatis continuæ non est aliquid quod divisioni repugnet. Corpus autem naturale dicitur quod consideratur secundum aliquam determinatam speciem, & virtutem: & hoc non potest dividi in infinitum, quia quilibet species determinatam quantitativam requirit; & in plus, & in minus: sicut enim dicitur in II. de Anima, text. lxi. omnium natura constantium positus est terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti: & ideo est invenire minimam aquam, & minimam carnem, ut dicitur in I. Physic. text. xxxvi. quæ si dividatur, non erit ulterius aqua, & caro. Constat autem quod corpus humanum naturale corpus est: unde in infinita dividi non potest, ut in infinitum generatio duret. Præterea dato quod corpus naturale dividatur in infinitum, sicut mathematicum, hoc non posset esse secundum eandem quantitativam, sed secundum eandem proportionem. Si enim à quocumque corpore finito removeretur quantumcumque parva pars, illa aliquoties sumpta mensurat totum, & etiam excedit: unde oportet semper tali parte sumpta per divisionem, totum corpus tandem consumi. Si autem accipiatur aliquid à magnitudine semper servata eadem proportione, verbi gratia ut primo à tota magnitudine absindatur tertia pars, & deinde à residuo tertia pars non totius magnitudinis, sed illius residui, & sic deinceps, nunquam cessabit divisio in infinitum. Sed tunc oportet quod illud quod accipitur in secunda decisione, sit secundum quantitativam minus eo quod auferebatur in prima. Primum enim subtractum erat tertia pars totius; secundum autem tertia pars partis, & sic deinceps. Unde si hoc modo fiat, decisio humidæ radicalis, ex quo semen secundum eos deciditur, oportet quod in semine ex quo generatur filius, sit minus de humido radicali, quod erat de veritate naturæ, quam in semine ex quo generabatur pater; & ita semen filii non poterit producere generatum in tanta quantitate, sicut potuit semen patris: quia omnis virtus naturalis dividitur ad divisionem subjecti; ut in minori magnitudine sit minor virtus: & ita sequeretur quod filius semper esset minoris quantitatis quam pater: unde homines jam pervenissent ad minimam quantitatem, etiamsi primi homines fuissent gigantes: sequeretur etiam quod filii semper debiliores parentibus essent: quia quanto aliquid minus habet de eo quod ad veritatem naturæ suæ pertinet, debilius est. Similiter etiam non est possibile quod per mixtionem talis augmentatio fiat humanæ naturæ: quia quando aliquid parvum alicui

maximo admiscetur, non facit mixtionem, ut in I. de gener. text. lxxxvi. dicitur; sed solvitur species parvi quod magno additur, sicut si gutta vini mille amphoris aquæ addatur. Unde jam in nobis nihil de veritate humanæ naturæ mansisset, sed totum evanisset quod de veritate humanæ naturæ erat, per maximam extranei admixtionem.

Alia opinio est, quæ semen non tantum ex humido radicali esse asserit, quod ex parentibus decisum est, sed ex hoc simul cum humido nutrimentali, quod fuit superfluum alimenti in patre; & hoc totum erit humidum radicale in filio, & ad veritatem naturæ humanæ in ipso pertinens primo modo; & sic aliquid de eo quod in nobis est de veritate humanæ naturæ, fuit etiam de veritate naturæ in patre; & patre patris, & sic usque ad Adam; per quem modum omnes nos in Adam secundum corpulentam materiam fuisse asserunt. Sed quamvis hæc opinio evadat quædam inconvenientiam quæ ad primam consequuntur, non tamen omnia evadere potest. Primo, quia rationes, & signa Philosophi inducta evidenter ostendunt quod semen nullo modo est aliquid ex membris resolutum: unde ejusdem rationibus improbatum opinio ponens totum semen esse quid resolutum, vel partem ejus. Secundo quia per modum istum, ut ipsi ponunt, esset augmentatio veritatis humanæ naturæ per admixtionem, & sic sequeretur inconvenientia quæ ad duos modos supra positos sequuntur: esset enim tunc minus de veritate humanæ naturæ in filio quam in patre: quod patet, si alicui vino admisceatur aqua, & admisceatur iterum parti divisæ ab illo vino commixto iterum aqua, ut perveniat ad eandem quantitatem, & sic deinceps: constat enim quod semper minus de vino remanebit in secundo quam in primo, & sic tandem vinum annullaretur. Unde patet quod etiam sequeretur ad hanc positionem, quod generatio naturaliter deficeret, & quod in nobis jam quasi veritas naturæ humanæ, & infectio peccati evanisset.

Tertia opinio est Philosophi, I. de gen. animal. cap. xviii. & xix. quod semen sit tantum de superfluo alimenti: vult enim quod semen non est aliquid resolutum à toto, sed illud quod est habens naturam ut sit convenienti toti: quod sic potest contingere. Cum enim omne agens assimilet sibi patiens quantum potest, oportet quod cibus per virtutem animæ agentem in ipsum assimiletur in naturam corporis, quod ab anima est perfectum; & quanto amplius digeritur, tanto magis erit virtutem animæ participans. Quando igitur venit ad ultimam digestionem, antequam sit in membra conversum, quasi perfectam similitudinem totius consecutum est virtute, etsi non actu; & ideo in eo est virtus per quam potest formari totum corpus. Quando ergo nutritiva pars ex alimento hoc modo assimilato, assumpserit in nutrimentum membrorum, illud quo ad nutrimentum indigerit, vel ad augmentum, residuum, quod dicitur ultima digestionis superfluum, administrat nutritivam virtuti generativæ: & hoc est substantia seminis, ut sic semen, & sit superfluum, in quantum residuum est ab opere nutritivæ, & sit tamen necessarium, in quantum indiget eo virtus generativæ: unde dicit Philosophus in XV. de animalibus, ubi supra, quod semen est superfluum quod indiget. Ita hoc semen per virtutem generativam ministratum, & preparatum habet naturam ut ex eo generetur totum cum admixtione ejus quod ex matre ministratur, quidquid sit illud. Et huic opinioni consentio, quæ rationabilior cæteris videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod hunc esse in Adam secundum corpulentam substantiam, potest intelligi dupliciter. Aut ita quod corpus istius fuerit in Adam, sicut quedam corpulenta substantia; & hoc modo est impossibile, nec sic Augustinus intelligit: aut ita quod corpulenta substantia hujus fuerit in Adam aliquo modo; & hoc verum est, quia materia propria ex qua corpus humanum formatum est, fuit in Adam virtute, sicut in principio effectivo originaliter. Unde secundum hoc patet qualiter differt esse in Adam secundum corpulentam substantiam tantum, & secundum rationem seminalem. Ad hoc enim quod corpus humanum constituatur, oportet duo advenire, scilicet materiam ex qua formatur corpus, quæ dicitur corpulenta substantia, & virtus formans, quæ dicitur ratio seminalis; & utraque originata est ab Adam: & ideo illi qui ex coitu viri & mulieris generantur, dicuntur fuisse in Adam originaliter secundum seminalem rationem, & secundum corpulentam substantiam. Christus autem ejus corpus virtus Spiritu Sancti formavit, de materia virginis administrata, dicitur in Adam fuisse secundum corpulentam substantiam tantum.

Ad secundum dicendum, quod si dictum Damasceni intelligatur universaliter de omni generatione, non oportet quod generatum sit de substantia generantis materialiter, sed formaliter tantum, non quidem secundum unam formam in numero, sed secundum unam formam in specie. Si autem intelligatur specialiter de generatione viventium, sic generatum est ex substantia generantis, quia ex alicujus decisione, quod fuit convenienti in substantiam generantis transire: sanguis enim aliquo modo dicitur esse de substantia generantis; & multo amplius semen, quod est ad ulteriorem digestionem perductum.

Ad tertium dicendum, quod si per coitum emitteretur solum illud seminis quod residuum est ab opere nutritivæ, & augmentivæ, nunquam sequeretur debilitatio; sed ex immoderato coitu aliquando emittitur etiam id quod necessarium erat ad membrorum nutrimentum; adeo quod propter immoderandam coitus, ut in XV. de Animalibus, I. de gener. animal. cap. xix. dicitur, loco seminis aliquis sanguinem emittit: ideo oportet quod debilitas naturæ sequatur. Nec mirum, cum etiam ex superflua egestione, vel urina, debilitetur corpus, sicut ex moderata alleviatur.

Ad quartum dicendum, quod assimilatio non est propter convenientiam in materia, sed propter motum virtutis activæ, quo movet in suam similitudinem: & quia aliquando corrumpitur motus patris in semine, nascitur filius similis avo, & proavo, cuius motus manet, ut XVIII. de Animalibus, IV. de gen. animal. cap. lvi. Philosophus ostendit; & non propter hoc quod materia corporis patris ex avo, & proavo traducatur.

Et per hoc patet responsio ad quintum, quod similiter procedebat ex hoc quod cognationis causa esset magis ex parte materiæ quam ex virtute activæ; cuius contrarium Philosophus ostendit in V. Metaphysic. text. xxxiii. dicens: *Magis homo est de genere patris sui quam matris, cum à patre formam recipiat, & à matre materiam.*

Ad sextum dicendum, quod in corpore hominis, & in corpore embryonis sunt diversæ humiditates, magis, & minus ad perfectam participationem speciei accedentes, sicut sanguis, & humiditas in quam ulterius sanguis digestus convertitur, & ulterius caro, & os.

Sciendum est ergo, quod unumquodque resurget in quo magis fuit perfecte participans naturam speciei, & si in utroque fuit perfecte naturam speciei participans, resurget in eo in quo primo fuit. Secundum hoc ergo dicendum est, quod quicquid fuit in illis carnibus quas pater pueri comedit, quod jam ultima conversione assimilatum erat membris, resurget in eo cuius carnes comestae sunt. Sed quod fuit in illis carnibus de humiditatibus, & humoribus à perfecta assimilatione distantibus, resurget in puero qui ex illo semine generatur; & in utroque (3) illud quod deest, supplebitur ex virtute divina. Hoc tamen ad tractatum de resurrectione magis pertinet.

EXPOSITIO TEXTUS.

HOC male senserunt quidam haeretici. Pelagius ad hoc inducebatur propter hoc quod potestatem liberi arbitrii ampliabat nimis, ut nullum peccatum esse in homine posset, nisi ex eius libero arbitrio proveniret; & quod nulla gratia indigebat homo ad hoc ut à peccato immunis existeret.

Originale peccatum dicitur fomes peccati. Hic ponuntur octo nomina originalis peccati, quorum differentia sic accipi potest. Potest enim hoc peccatum nominari vel per comparisonem ad modum quo causatur in nobis, vel per comparisonem ad peccatum in quo est, vel per comparisonem ad peccatum actuale in quod inclinatur: & quia per originem vitiam in nos pervenit, ideo ex modo quo (4) causatur in nobis, nominatur dicitur originale peccatum. In peccato autem actuali duo considerantur: scilicet defectus, seu deformitas peccati, & secundum hoc nominatur fomes peccati, quasi fomentum præbens ad peccandum, sicut siccitate lignorum fovetur ignis: & iterum delectatio, quæ consistit in conversione ad bonum commutabile, & sic dicitur concupiscentia quantum ad deordinationem actu existentem in partibus animæ, subtracto retinaculo iustitiæ originalis; vel in ordine ad actum concupiscentiæ, ad quem peccatum originale inclinatur; & sic dicitur concupiscentia. Subjectum autem in quo originale peccatum consistit, est homo, qui ex duabus naturis constat, rationali, & sensitiva. Potest ergo originale peccatum nominari vel per comparisonem ad rationalem, vel per comparisonem ad sensitivam.

DISTINCTIO XXXI.

Quomodo peccatum originale à patribus transeat ad filios; an secundum animam, an secundum carnem.

Nunc superest investigare, qualiter illud peccatum à parentibus traducatur in filios, scilicet an secundum solam animam, an secundum carnem, sive secundum utrumque. Pataverunt quidam secundum animam trahi originale peccatum, non solum secundum carnem: quia non solum carnem, sed & animam ex traduce esse arbitrati sunt. Sicut enim in generatione prolis de carne paterna substantialiter trahitur caro; ita & de gignentis anima animam geniti essentialiter deduci ab his aestimabatur. Ideoque sicut de corrupta carne caro corrupta seminatur; ita etiam de anima peccatrice anima peccatrix corruptione originali infecta ab illis trahi dicitur.

Prædictam opinionem damnat, & quod per carnem traducatur peccatum dicit, & quomodo, ostendit.

HOC autem fides catholica respuit, & tamquam veritati adversum damnat, quæ non animas, sed carnem solam, sicut superius diximus, ex traduce esse admittit. Non igitur secundum animam, sed secundum carnem.

(3) Al. illud supplebitur quod deest ex virtute divina. (4) Al. creatur. (5) Al. completis. (6) Al. deest ad minus. (7) Al. vel caro, & sanguis ex cibis. (8) Id est minimas partes quæ non transeant in aliud, ut notat Nicolai.

Si primo modo, sic ex parte eius quod est formale in originali peccato, scilicet debita iustitiæ carentia, dicitur languor naturæ; ex parte vero eius quod est materiale, scilicet inordinatio inferiorum virium, dicitur tyrannus, in quantum per inordinationem inferiorum virium injuste, & quodammodo tyrannice ratio in servitutem peccati trahitur. Ex parte autem animæ sensitivæ, quæ est potentia organica affixa, dicitur lex carnis, ex eo quod per traductionem carnis traducitur; & dicitur lex membrorum, in quantum in membris (5) corruptis dominatur, & quodammodo secundum conditionem eorum inclinatur in actum, ut scilicet in delectabile membris homo inclinatur, quod est eis conveniens.

In eo materialiter erant: non ita quod illud quod fuit materia corporis Adæ, sit postmodum materia omnium hominum; sed quia materia omnium hominum originaliter ab Adam traducta est, sicut à principio effectivo primo in humana natura: materia enim humani corporis est menstruum, vel etiam semen simul, ut quibusdam placet. Quod autem semen, & menstruum causetur in nobis, hoc non est nisi per virtutem naturalem, quæ in nos ex parentibus venit; & ita tota materia corporis humani originem habet ab Adam, non quasi ab eo decisa, sed quasi à virtute quæ ab ipso descendit, preparata.

Quod etiam ratione ostendi potest. Ista ratio non valet, quia procedit à majori (6) ad minus affirmando: magis enim videtur quod in resurrectione, quæ tota miraculosa erit, aliquid divina virtute fiat vel per multiplicationem, vel etiam alio quocumque modo, quam in naturali augmento, quod actione naturæ completur.

Non inficiamur tamen quin cibi, & humores in carnem, & sanguinem transiant. Istud videtur inconveniens, quod Magister hic ponit: quia (7) vel caro ista ex cibis generata, distincta erat ab illa quæ à parentibus descendit; & sic non tota quantitas humani corporis salvaretur in carne quæ ex parentibus descendit: vel commixta illi; & sic oportebat quod ex eis unum quid generaretur quod neutrum illorum esset, sed medium inter ea; & sic totum æqualiter ad veritatem naturæ pertineret: nisi forte poneretur esse mixtio secundum minima salvata (8), ut quidam posuerunt; quod etiam in primum modum rediret.

DISTINCTIO XXX.

cundum carnem solam peccatum originale trahitur à parentibus. Est enim peccatum originale, ut supra diximus, concupiscentia, non quidem actus, sed vitium. Unde Augustinus ad Valerium de nupt. & concup. Lib. I. cap. xxv. & deinceps. „ Ipsa concupiscentia est lex membrorum, vel carnis, quæ est morbidus quidam affectus, vel languor, qui commovet illicitum desiderium; id est carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur: quæ dicitur manere in carne, non quia in anima non sit, sed quia per corruptionem carnis in anima fit.“

Causam corruptionis carnis ostendit, ex qua in anima peccatum sit.

CARO enim per peccatum corrupta fuit in Adam, adeo ut cum ante peccatum vir, & mulier sine incentivo libidinis, & concupiscentiæ fervore possent convenire, essetque torus immaculatus, jam post peccatum non valeat fieri carnalis copula absque libidinosâ concupiscentia, quæ semper vitium est, & etiam culpa, nisi excusetur per bona conjugii. In concupiscentia igitur, & libidine concipitur caro formanda in corpore prolis. Unde caro ipsa quæ concipitur, in vitiosa concupiscentia polluitur, & corrumpitur: ex cuius contactu anima, cum infunditur, maculam trahit, quæ polluitur, & fit rea, id est vitium concupiscentiæ, quod est originale peccatum.

Quod propter corruptionem carnis, quæ est causa peccati, dicitur peccatum esse in carne.

IDEOQUE ipsum peccatum dicitur manere in carne. Caro igitur quæ in concupiscentia libidinis seminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, sed causam. In eo igitur quod seminatur, corruptio est; in eo autem quod nascitur, concupiscentiæ vitium est. Unde Ambrosius (a) de Verbis Apostoli ad Rom. cap. vii. sic ait. „ Quomodo habitat peccatum in carne, cum non sit substantia, sed privatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum: ipsaque corruptio per conditionem offensionis manet in corpore, robor tenens divinæ sententiæ datæ in Adam, cuius consortio anima maculatur peccato. Per id ergo quod facti causa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne. Hæc est lex carnis.“ Idem: (b). „ Non habitat peccatum in anima, sed in carne: quia peccati causa ex carne est, non ex anima: quia caro est ex origine carnis peccati, & per traducem omnis caro fit peccati: anima vero non traducitur, & ideo in se causam peccati non habet.“ Augustinus quoque ex carne peccatum animam trahere in sermone quodam (c) de Verbis Apostoli ostendit, dicens Lib. IV. contra Julian. cap. iv. & vi. „ Vitium concupiscentiæ est quod anima ex carne contrahit. Natura quippe humana non opere Dei cum vitio primitus est instituta, sed ex voluntatis arbitrio priorum hominum venienti vitio est sauciata; ita ut non sit in carne bonum, sed vitium quo inficitur anima.“

De causa originalis peccati quæ est in carne, utrum sit culpa, an pœna.

HIC quæri solet, utrum causa peccati originalis, quæ dicta est esse in carne, culpa sit, vel pœna, sive aliquid aliud. Culpa esse non potest, quia culpa non est in re irrationali. Si enim culpa esset in carne ante infusionem animæ, actualis esset, vel originalis. Sed actualis ibi non est. (g) Nec originalis culpa est: quia ipsa causa est originalis peccati. Si autem pœna est, quæ est illa? Passibilitas, vel mortalitas, vel alia corruptio? Hos enim defectus carni inesse constat.

Hic aperitur, quid sit fœditas tracta ex libidine coeuntium, quæ vitium, vel corruptio dici potest.

AD quod dici potest, quod multiplex defectus carnis, & præcipue pollutio quædam, quam ex fervore coitus parentum, & concupiscentia libidinosâ contrahit caro dum concipitur, causa est originalis peccati: quæ recte vitium, sive corruptio carnis appellari potest: quæ fœditas major esse videtur in carne concupiscentialiter traducta, quam in ea unde traducitur. Et quod vitium, vel corruptio sit in carne ante conjunctionem animæ, effectu probatur cum anima infunditur, quæ ex corruptione carnis maculatur. Sicut in vase dignoscitur vitium esse, cum vinum infusum accesscit.

Inductu similitum ostendit non absurde dici, filios trahere peccatum à parentibus etiam mundis dici.

NE autem miremur, & intellectu turbemur, audientes peccatum originale filios traducere à parentibus, jam per baptismum ab illo peccato mundatis, diversarum similitudinum inductione id posse fieri insinuat Augustinus in Libro de Baptismo parvulorum III. cap. viii. ita inquit. „ Quomodo præputium per circumcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circumcisi; quomodo etiam palea quæ opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu qui de purgato nascitur tritico: ita peccatum quod in parentibus per baptismum mundatur, manet in eis quos genuerunt. Ex hoc enim gignunt quod adhuc verustum trahunt, non ex hoc quod lex in novitate promovit eos inter filios Dei. Non enim generant parentes filios secundum illam generationem qua denuo sunt nati, sed potius secundum illam, qua carnaliter & ipsi primum sunt generati.“

(g) Addit Nicolai: quia nondum aliquid agit quæ nondum vivit.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Sive Ambrosii nomine Commentator in Epistolas Pauli super illud ad Rom. vii. Non inhabitat in carne mea bonum. (b) Ibidem super illud tamen, Condelector legi secundum interiorem hominem. (c) In sermonibus hoc titulo notatis non occurrit, etsi aliquid huc pertinens ex v. vi. & xii. colligi potest. Velut ex Lib. IV. contra Julian. cap. viii. & plenius cap. vi. sive ix. prius indicabatur ad marginem, sed nec ibi expresse sub his verbis, quamvis æquivalente forte sensu habeatur: quibus adjungi potest quod cap. i. Lib. de natura & gratia quoad naturam sine vitio primitus institutam expresse dicit.